

loco esse, quod spaciū trinū est longū, latū, altū, minime dici potest. Est tamen centrum in terra, non terra in centro, sed circa centrum. At vero, terrae centrum, cum universi centro, eadem ne res sunt, an diversae? Et a se invicem distantes. Hanc quæstionem Aristoteles tetigit, sed eam prosequi ut videtur, animus ei defuit. Nobis facilis est solutio. Si terra ita centro universi esset circumposita, ut ab eo, ad universam undequaque terrae superficiem tractae lineaæ æquales essent, tunc utraque centra, una res essent. Sed non sunt æquales. Non ergo idem erit eorum centrum. Non esse autem æquales eas lineaæ, sensus simul cum ratione ostendit. Ratio si ad eandem vel circumferentiam circuli, aut sphæræ superficiem eandem non pertingunt, necesse est non esse æquales, sensus autem ostendit, superficiem terræ non esse sphæricam, nec talem qualis est in circulo circumferentia omnibus in partibus sibi similis. Nam cum et Astronomi, et Geographi, et nautæ totius terræ circuitum, dicant esse milliariorum 22500. Sphæricitatem eius multa impediunt. Pervana enim Planities, quæ a loco, cui nomen Tunbez est, usque ad fretum Magellanicum per leucas 500 extenditur: quæ 2000 millaria comprehendunt, non ne 11 fere totius circuitus pars est. At tanta superficie pars, cur respectu totius, insensibilis est dicenda? (Ita enim solent solvere) si 11 pars est. Montes quoque qui ibidem sunt nomine Andes cum longiore tractu quam plana, protendantur. Non sunt insensibiles putandi, toti terræ collati, si totius sunt pars fere decima. Taurus est mons qui supra Rhodum initium sumens, ad extremos totius Asiæ orientales fines extenditur, variis per partes nominibus insignitus, gradus 120 in longitudinem occupat quæ tertia est totius terræ ambitus pars. Cur non dicetur longitudine hæc respectu totius, et sensibilis, et momenti magni? Præsertim si latitudo eius adiiciatur, qui iuxta Strabonis computum, stadiorum est trium millium, quæ in 375 millaria reducuntur. Planities vero tota, qui ab eo monte ad Scythicum Oceanum spectat, cum a Germania finibus incipiat, etiam ipso monte longior est, cur non fere dimidia totius longitudinis pars dicatur, continens gradus 150. Si quis vero ab universi centro ad Scythici Oceani superficiem ad Scythiae planitiem, ad Tauri cacumina trahat, quis eas dixerit esse æquales. Aliæ tres trahantur ab eodem centro ad maris, ad plani Peruani, ad Andium superficies, quo modo æquales probabuntur? In Tenarife insula media mons Pichus, est mundanorum montium omnium altissimus qui 72 milia cœlum versus tollitur; circum eum plana sunt, a planis maris superficies depressior quis has lineaes tres, æquales esse dixerit? Quæ cum ita sint inæquales, quis sanus dicere audeat vel terram per se solam esse rotundam? Vel aquam cum terra unum pangere globum? Dicunt, non geometricum, et exactum; attamen, quantum fieri potest rotundum. At hoc quantum fieri potest, nullo modo fieri potest, cum aquæ superficies, quam planissimam esse demonstravimus plusquam terra in longitudine, ac latitudine pateat. Et terra ipsa de sex longitudinis partibus quinque plana sit tota, quatuor vero aliis montibus gibbosa. Cuius ergo terra figuræ est, si non est rotunda? Nullius certe regularis, non sphærica, non cubica, non octædra, non dodecaëdra, non icosædra, non Pyramidalis. Sed multifariam irregularis, καθὼς ἡθέλησε, ὁ δημιουργὸς νοῦς, qualem eam voluit esse, conditrix Mens. Ut ea varietate, et potentiae, et sapientiae infinitatem in finita re exerceret; et plurimis ea usibus esse posset. Causas ergo erroris huius maximi, terram cum aqua rotunditatem unam ponere, iam deteximus, inde provenisse, quod putarent terræ, et aquæ se se partes ita pondere suo quæque præmtere versus centrum, ut dum omnes eo æquis viribus festinant, insimul totum conglobetur. Quod nullum globum cum effecerit, vanitas est non conglobatae, non sphærice rei, centrum quærere. Multo vero maior vanitas ea est, quærere, an sphæricæ rei idem centrum sit, cum universi infiniti centro. Ut ergo tandem tam perplexas ambages solvamus, et rem totam concludamus, dicimus, universum, quantumvis infinitum, centrum in sui medio habere, circa quod terra sit circumposita, ipsamque universi centrum, continere, at proprium centrum non habere, quod cum universi centro, nec idem sit, nec diversum. Hoc itidem, et aquæ universi, partes per terræ hyatus, et chasmata dispersæ sunt, si non infinitis, certe huc atque illuc innumeris. Ex quibus tot fontes, tot lacus, tot flumina diversissimis, distantis simisque